



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Simonia. Consilium DLXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

ex eo videtur, quod ipsa nominatio per se non sit
2. expectatio & spes illius acquirendi. * Vnde est,
quod Glossa ordinaria, in c. Ad audientiam 2. in verb.
renuntiantes de rescripti. tradat non esse commissam
simoniam per eum, qui recepta pensione annua
renuntiat literis apostolicis gratiam expectativam
continentibus: non obstante, quod ex huiusmodi
literis habeat jus ad petendum beneficium spiri-
tuale; quia, ut dicit Baldus, in d. c. Ad audientiam 2.
nu. 2. per id nondum est formatum jus spirituale.

3. Ex adverso exiguitas dandi per se non excusat; nam
in crimine simoniæ inter parvum & magnum dis-
crimen nullum constituitur; & lex etiam solidi
dati aut accepti pro re spirituali simoniam consti-
4. tuit, c. Ex tua de simonia. * Et quod Glossa exi-
stimat, spirituale jus non esse in huiusmodi gratia
expectativa seu literis desuper concessis, ab Inno-
centio, Antonio de Butrio, Panormitano, & aliis
omnibus Canonistis improbat, in d. c. Ad audien-
tiam 2. An. Florent. in summa in 2. p. c. 5. De simonia
§. 11. vers. nota quinto: idem quod per huiusmodi li-
teras & nominationem præparetur via ad spiri-
tuale, hoc est ad beneficium Ecclesiasticum obtinen-
dum; & nominatus inde habeat jus ad petendum
beneficium; idcirco de illo sicut de spirituali sit
judicandum. Tum etiam in proposito, quod per
hanc renuntiationem aperta fuerit via ad alteram
nominationem filio illius, qui pecuniam solvit,
quæ est preparatoria ad obtinendum beneficium.
Vnde quemadmodum non licet dare pecuniam
pro beneficio consequendo immediate; ita non li-
cet dare pro præambulo ad beneficium consequen-
dum, l. Oratio de sponsal. Ioan. de Anania in c. 2. de si-
monia n. 3. * Ita ut in hac argumentorum & con-
siderationum diversitate non satis sit expeditum,
utrum de proposita specie constituendum sit; præ-
sertim propter contrariam intentionem & prote-
stationem dicti secundo loco nominati; qui quam
potuit maxime sollicitus fuit, ne quid hac in re si-
moniacæ committeretur: ut nec fraudare intelli-
gitur, qui hoc agit, ut fraudem excludat, l. cum pa-
ter §. Titio de leg. 2. Gloss. fin. in fine in c. Ad audientiam
De his quæ vi metusve causa. Ita ut ex intentione sua
non videatur esse simoniacus, qui oblata occasio-
ne nominandi, per renuntiationem prius nomina-
ti, usus est. Eaque est etiam Theologorum senten-
tia, Petrus de Palud. in 25. disticti. lib. 4. sentent. q. 3.
ad primum; quod si à non intendentibus, & nullo
modo volentibus fiat aliquid ad simoniam aliàs
pertinens, non sit simonia: cum enim definitio si-
moniæ, studiosam voluntatem, & sic mentem de-
pravatam requirat, non rectè constituitur illa in
eo, qui mentem depravatam non habet.

6. Proinde in proposito casu videtur dicendum,
simoniam nullam esse commissam; non tantum ex
contraria mente & cogitatione filii ejus, qui pe-
cuniam nominato dedit, de qua contraria mente
in casu proponitur: verum etiam ex facto ipsius
patris dantis, & nominati accipientis; si hæc datio
& receptio pecuniæ non intervenit ex speciali
præcedente pacto, sed ex mera liberalitate & ob-
latione spontanea, Panorm. in c. Ferrariensis nu. 26. de
consuetud. si videlicet primò nominatus perinde erat
renuntiaturus suæ nominationi, etiam si per eum

prius erogata pecunia non fuisset ei restituta. Mu-
nere enim receptio etiam in beneficiis in colla-
tionibus non est prohibita, si pactio cesset, d. c.
Esi quæstiones §. fin. autem. Si interim aliter non
erat renuntiaturus, vel si ob futuram renuntiatio-
nem pacto interposito, numerata & recepta fuit
pecunia; non video, quomodo à simoniæ vitio res
excusari poterit; etiam si parvum & exiguum sit,
quod datum est, Ioan. de Anania & alij in d. c. Esi
quæstiones d. c. Ex tua, Antonius d. vers. nota quinto:
quia velut pro pretio datum esset, quod directam
simoniam constituit; etiam si ex illa primi nomi-
nati nominatione nullum jus in re vel ad rem que-
situm fuisset, propter illicitam pactiorem, alie. in
conf. i. de simonia: * sic quod bona fides seu simpli-
citas patris & filii, existimantium hoc non esse illi-
citurum, non excuset; cum peritiores (quorum copia
Lovanii non deest) consulere poterit, c. per tua 3.
& ibi Gloss. in v. intertext. de simonia.

Quo constituto necesse est constituere crimen
simoniæ; & ex hoc poenam excommunicationis
& suspensionis; item privationis beneficii, & resti-
tutionis omnium fructuum ex eo perceptorum, c.
Cum deestabile in extravag. commun. de simonia, c. insi-
nuatum 2. c. eod. c. Constitutus de transact. Domin. à
Soto de iustit. & iure lib. 8. art. 1. c. Pastoralis §. verum
& ibi Panorm. & alij de appellat. & præterea, pro-
pter dictam excommunicationem & suspensio-
nem, etiam poenam irregularitatis, Panorm. in c. De
simoniæ nu. 6. De simonia, ex qua ulterius confur-
git poena inhabilitatis, non tantum quoad benefi-
cium, quod sic simoniacè obtentum est, sed etiam
quoad alia quæcumque; quamdiu per legitimam
dispensationem rehabilitatus non est. * Adversus
quam irregularitatem, si dicta simoniaca pactio
occulta est, poterit dispensatio ab Episcopo impe-
trari, cum eo effectu, ut absolutus & dispensatus
in ordine accepto ministrare, ad majores promo-
veri, & alia beneficia acquirere & obtinere possit,
Panorm. & Felin. in d. c. De simoniæ, Anton. in tract. de
irregularitate c. 7. nu. 12. Conc. Trid. sess. 24. De re-
format. cap. 6. sed non perinde ut idem beneficium,
quod sic simoniacè obtinuit, retinere; vel ei de no-
vo conferri possit: nam hoc excedit Episcopi po-
testatem, & à Pontifice petendum & obtinendum
erit, Panorm. & Felin. in d. c. De simoniæ, Domin. à So-
to d. l. 8. art. 2. Rebuff. ad concord. tit. de electi. nu. 26.
ad v. rehabilitationibus.

De Simonia.

S V M M A R I U M,

Simonia quando committatur.

1. 3. Custodia Ecclesiæ an sit spiritualis.
2. Simonia an committatur in temporalibus Ecclesiæ
officijs.
4. Simoniam committi in annexis spiritualibus.
5. Status ultimus in beneficijs inspicitur.
6. Laicus beneficij Ecclesiastici incapax est.
7. Tonsura clericalis post collationem beneficij non pro-
dest ad illius retentionem.
8. Collatio beneficij ordinariè non cadit in laicum nisi
ex privilegio.
9. Posseio beneficij etiam per laicum acquiri potest.
10. Simoniacus est etiam is qui per pecuniam alij benefi-
cium acquisivit.

XI. Simonia

11. *Simoniā non excusat ignorantia iuris.*
 12. *Simonia pena qua sit.*

CONSILIVM DXLII.

FRATER fratri emit Matriculariam seu Custodiam Ecclesiæ parochialis, pretii conventionem interpositā, & ex bonis fratris solutā; frater id ignorante, sed permittente: prohibente tamen id fieri, si citra simoniacam labem fieri non posset. Permissione causam præbente, quoddam frater, qui comparavit, ex resolutione quorundam Iurisperitorum assereret huiusmodi Custodiam recte sine vitio simoniæ labi emi posse; prohibitioni verò, quod à quibuidam viris doctis intellexisset, id citra vitium simoniæ fieri non posse. Quæritur primò, num contractus hic sit simoniacus? Secundò, an uterque frater in peccato & vitio simoniæ sit? Tertiò, quæ sit utriusque pena? Quartò, quod sit hac in re officium Pastoris, cui hic Custos obtruditur?

- I** Ad primam quæstionem respondetur, ejus resolutionem pendere ex natura, & conditione, ac qualitate Matriculariæ seu Custodiæ. Nam quatenus est perpetuum officium in Ecclesia, non in nuda opera consistens, ut est mercenarii, sed in administratione rei spiritualis seu sacre, ut est canere officium divinum, Pastori in divinis & Sacramentorum administratione assistere, Ecclesiæ quoque vasa & ornamenta custodire; Ecclesiasticum & spirituale est officium; aut saltem spirituali annexum & unitum: potissimum si etiam consuevit per clericum tonsuratum exerceri. Alioqui si administratio ipsa seu exercitium Custodiæ nihil spiritualitatis seu sacri habet; temporale, non Ecclesiasticum ac spirituale erit officium, & poterit per quemcumque etiam laicum obtineri & regere: ut est Ecclesiæ Custodia consistens in aperiendo & claudendo fores Ecclesiæ, aut in alia aliqua simili functione. In priore specie, non etiam in posteriori, committitur simonia: ita ex sententia Hugonis decedit Glossa, in can. 1. in verb. qui claudat. 1. quæst. 2. quam sequitur Archidiaconus, Ioannes de Turre-Cremata, in a. 6. 1. Angelus de Clavasio, in Summa d. c. Simonia 5. nu. 7. & novissimè Guilielmus Redoanus, de simonia parte 4. c. 1. n. 37.
- 2** * Quinimò sunt qui utroque casu simoniam subesse putant; ob id, quoddam generaliter prohibitum sit, res temporales Ecclesiæ, multò magis Ecclesiæ administrationes, quarum etiam laici capaces sunt, vendere & emere, in can. Salvator 1. q. 3. & ibi gloss. quæ prohibitio facit, ut contraventio simoniam saltem largè acceptam inducat. Est enim quædam simonia de jure positivo, quæ non est prohibita, quia mala, sed mala, quia prohibita, dom. a Soto de iustit. & iure lib. 9. q. 7. art. 1. post med.
- 3** Cum igitur hæc Matricularia seu Custodia (ut proponitur) sit conjuncta cum clericali officio, & temporale, quod in Custodia consistit, hoc est illius præbenda seu emolumenta sine spirituali non transcant; consequens est, in illius venditione & emptione veram latere simoniam, Soto d. art. 1. post princ. * cum simonia perinde pertineat ad illa, quæ annexa sunt cuicumque clericali, etiam citra sacros ordines, puta primæ tonsuræ aut minoribus ordinibus; ut ad illa, quæ annexa sunt

executioni ordinis sacri, aut clavium: hoc solo delictum, quod in his ex jure divino simonia committatur, in illis jure positivo: eodem tamen penæ manente effectu, Panorm. in c. 1. de simonia, Soto d. art. 1. post princ. * Clericale autem esse hoc officium, deprehenditur ex ejus ultimo statu: proponitur enim hæcenus obtentum & administratum fuisse per clericos tonsuratos: in definienda autem beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum qualitate ultimus illorum status plerumque & in re dubia inspicitur, c. Consultationibus & ibi Panorm. & alij de iure patron. Quem ultimum statum confirmat diocesana nova constitutio, apertè requirens ad Custodiarum huiusmodi ademptionem & regimen tonsuram clericalem.

Nec qualitati huic aliquid detrahit, quoddam Regia Majestas & Comes Flandriæ, conferre dicatur; & collatione obtentâ Prætor loci Custodem in possessionem inducat: nam id naturam beneficii vel officii ex parte collarii, hoc est, ejus, cui confertur, non immutat, cum in eo semper requiratur idonea vel à jure & conditione beneficii requisita qualitas; quæ deficiente collatio, cujuscumque etiam illa sit, inutilis est, c. Super inordinata de præben. Ita ut cum Ecclesiastici beneficii incapax sit laicus, c. Ecclesia sancta Maria & ibi Gloss. in V. re- ceperunt, c. Si eo tempore de rescript. lib. 6. Clem. fin. de atate & qualitate ordinand. nulla sit, quæ ei facta est collatio, si tempore collationis clericus non sit, etiam si eâ atate sit, ut clericus statim fieri possit;

* ideoque ad retinendum officium seu beneficium collatum, non sufficiat, si post collationem vel præsentationem incontinenti collarius clericus fiat, c. Si clericus de præben. lib. 6. cum impetratio beneficii facta per laicum nondum effectum clericum sit ipso jure nulla, c. Cum aded de rescript. c. Ex literis de transact. c. 2. de iustit. & ibi Ioan. Andr. & alij. Quæ juris ratio perinde observatur in collatione per laicos, ut per clericos facta, latè Casus Lambertinus in tract. de iure patron. lib. 2. part. 1. q. 9. quæst. princ. art. 7. & 20. nec debet in hoc articulo, juris ratio ex diversa qualitate seu conditione conferentis mutari. * Quamvis interim impropria sit collatio, quam laici ex jure patronatus faciunt; quia in Rei veritate magis est præsentatio: cum collatio beneficii vera & propria non cadat in laicum, etiam Principem, 63. distincta per tot. c. Cum laici de iure patron. & collatio negotiorum Ecclesiasticum sit; cuius laicus capax non est, c. 2. & ibi DD. De iudic. c. Dilectio & ibi DD. De testibus Verum quidem est, ex privilegio Papæ laicum subinde habilitari posse, ut etiam utatur jure collationis, non tantum præsentationis, can. Adrianus 2. c. In synodo 63. distincta. DD. in d. c. Dilectio: sed inde non datur amplior potestas conferendi aliis personis, quam quibus conferre posset Prælati Ecclesiasticus.

Minus in consideratione haberi hic debet interventus Prætoris: nam ille ad nudam possessionem, quæ parum juris habet, referri debet, cum quilibet laicus procurator clerici beneficiati esse & possessionem beneficii pro eo accipere possit, Roia de dec. 114. nota ubi in antiq. Ioan. Staphil. in tract. de vi & potest. claus. & 4. nu. 20. Panorm. in d. c. 2. De iudic. ita ut actus Prætoris tantum executionis, non

non juris collationis sit; & ideo nullum effectum operetur, si qui præsentatus est, sit inidoneus, quem Episcopus, aut Ecclesia Prælati possit repellere, & canonicam institutionem illi denegare. Atque ita rectè concluditur, hanc collationem sive præsentationem esse simoniacam; non ex parte conferentis seu præsentantis, sed ipsius collatarii: qui hoc vitioso medio numerationis pecuniæ factæ illi, qui hanc Custodiam resignavit, illam extorsit. De quo minus dubitare convenit, ex quo litteræ collationis seu præsentationis dicuntur continere hanc expressâ clausulâ, si simoniaca labes non intervenit: ita ut etiam ex intentione conferentis seu præsentantis pro nulla reputari debeat hæc collatio; quasi conditione deficiente, seu contrariâ conditione eveniente, l. Si legatum pure de adimen. legat.

Ad secundam quæstionem brevis est responsio; utrumque fratrem in reatu seu vitio simoniæ constitutum esse. Etenim non tantum simoniacus est, qui beneficium sic vitiose obtinet, c. Querelam, c. Consilium de simonia; verum etiam qui sic obtinenti vel proxeneta, vel intercessor, vel cooperator est, c. Cum super de confess. d. c. Salvator, c. Cum detestabile de simon. in extravag. communib. Guiliel. Redoanus de simonia par. 4. c. 1. n. 37. Est enim is criminis particeps, & in proposito casu auctor principalis. * Nec excusat fratrem, cui collata est Custodia, quod prohibuerit pecuniam dari: nam illa prohibitio absoluta non fuit, sed conditionalis; ac præterea ipse in tali prohibitionem non persistit, cum bona sua pro comparanda pecunia per fratrem obligari passus sit, & comparatam pecuniam pro obtinenda resignatione numeratam esse sciverit. Tunc enim prodest prohibitio, cum ab ea non receditur, nec consensu postea quomodo-cumque sequuto tollitur, nec contra prohibitionem factum ratum habetur, c. Sicut 2. de simonia.

Nec excusat in parte juris ignorantia, seu simplex credulitas: quasi in Iurisperitis diversa respondentibus sine fraude sequi potuerit eorum opinionem, qui in huiusmodi Custodia simoniam non committi existimaverunt: nam in delictis & prohibitis juris ignorantia non excusat; licet ob illam poena mitigari interdum possit, c. m. pen. §. ignoscere 8. distinct. D. Th. 1. 2. q. 76. a. 3. & seq. Itaque de poena mitig. caus. 11. Veritas enim hæc opinioni præponderat: ut ex re verè peccare dicatur, qui non intellexit se peccare, hoc est credidit se non peccare, ut aperto jure in reatu simoniæ constitutus est; cum sit etiam quod huic fratri imputetur, quia peritiores non consuluerit, c. m. ult. 27. distinct. & negantibus potius quam assentientibus credere voluerit, in re, quæ in suo genere illicita & probabilis fuit: nam nec officia temporalia vendi aut emi licetè possunt, d. m. à Soto de iustit. & iure lib. 3. q. 6. artic. 4.

12 Ad tertium quæsitum dicimus, simoniæ poenas esse plures: videlicet suspensionem, depositionem, ac privationem beneficii seu officii etiam ipso jure, Guiliel. Redoanus de simonia p. 4. c. 11. nu. 3. Iosephus Martini Navar. in manuali confessor. c. 23. n. 111. c. De hoc, c. Infamatum de simonia, si notorium sit crimen, aut facile (ut hæc proponitur) probari possit: idque tam quoad alios, quam quoad se, Guiliel. Redoanus d. p. 4. c. 12. nu. 28. Item quod fructus suorum beneficiorum seu officiorum suos non faciat, d. c. Infamatum. Item quod incidat in poenam excommunicationis, d. c. Cum detestabile, Rebuff. in

praxi benef. tit. De simonia in resig. & per hanc in irregularitatem, si in hac excommunicatione divina faciat. Mitigatio autem poenæ, quæ inducitur propter illam falsam ex simplicitate credulitate, consistit in facultate absolutionis, dispensationis, & re-habilitationis, ut scilicet has possit facilius impetrare, quam ille, qui sciens prudensque ex mala conscientia in simoniam cadit. Et sic in his poenis paritas est in utroque fratre, disparitas in mitigatione: plus enim peccavit frater proxeneta & mediator.

Ad quartam quæstionem respondemus, officium Pastoris in dicta Ecclesia esse, in primis ut quantum in se sit sic præsentatum non admittat, & præterea si jus institutionis Canonice ad eum in hac Custodia non pertinet, debet id suo superiori denuntiare, d. c. Cum detestabile §. & huiusmodi; præsertim cum proponatur notorium hæc esse factum numerationis & donationis pecuniæ: alioqui in re occulta procedendum esset per denuntiationem Evangelicam; monendo dictum fratrem, ut Custodiam relinquat, & de commissio penitentiam agat.

De Simonia.

S V M M A R I V M.

Simonia occulta & per credulitatem contracta.

1. Simonia est aliquid dare pro obtinendo beneficio.
2. Ignorantia iuris non excusat factum simoniacum.
3. Simonia occulta mitius punitur quam manifesta.
4. Simoniacus excommunicatus est.
5. Episcopus quomodo dispense in simonia.
6. Inhabilitas ex simonia contracta an per Episc. tolli possit.

CONSILIVM DLXIII.

A Pro pacifica possessione collati beneficii filio suo B. obtinenda expendit litigando 200. (ut ipse affirmat) florenos. Sollicitat C. affinis ejus, ut in se resignet beneficium; monens eum sui promissi, quo receperat se aliquando ei de beneficio provisorum. Affirmat A. se id libenter facturum & gratis, sed cum nullos adhuc perceperit fructus beneficii, allegat æquum esse, ut refundatur supradicti illi 200. floreni, quos expendit litigando. C. id existimans licitum, & ex æquitate, promittit se id facturum, & facit; eo tamen animo, ut si putaret simoniam esse, nollet vel obulum ullum dare pro recipiendo beneficio. Res itaque hoc modo transacta, & C. beneficii sex annos possedit. Queritur, utrum secundum Canones juris commiserit C. aliquam simoniā, & si sit commissā, ad quid teneatur? Præsupposito ulterius, quod beneficii sit simoniacè acceptū, ac proinde possessor celebrans incurrerit irregularitatem, an posteaquam ab Archiepiscopo suo, vel ejus Vicario absolutus est à simonia, & dispensatione obtinuit ab irregularitate, satisfaciatur, si resignet liberè, & restituat in manus Collatoris, sub sigillo tamen secreti (cum res tota ignota, sit & in foro conscientie) & deinde posteaquā ita tradiderit manui Collatoris petat ab eo supplex, ut in se purè & gratis velit conferre hoc beneficiū? De fructibus autem hæcenus perceptis, cum bonâ fide perceperit, & diligenter Ecclesiæ inservierit, peteret à summo Pontifice dispensationem, nisi ob prædictam bonam fidem possit Archiepiscopus dispensare?

Ad primum quæsitum respondendū, dubitatione non esse, quin simoniacè obtentū sit hoc beneficiū.

* Quippe cum in pactū deducta sit præstatio 200. floren. pro obtinendo hoc beneficio per expressam promissionem, & subsecutâ illorū solutione; nihil

Ecc

defuit